



**Philippi Ecclesiae Eystettensis XXXIX. Episcopi. De  
Eivsdem Ecclesiae Divis Tvtelaribvs. S. Richardo. S.  
Willibaldo. S. Wvnibaldo. S. Walpvrga. Commentarius  
nunc primum evulgatus**


**Philipp <Eichstätt, Bischof>**

**Ingolstadii, 1617**

Epilogvs Ad Dioeceseos Exstettensis Incolas, Qvi Tam Spirituali, Qvam  
Temporalis Iurisdictione Illustrissimi Præsulis tenentur.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70477](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70477)

  
 EPILOGVS AD DIOECESOS EYSTETTENSIS INCOLAS, QUI  
 TAM SPIRITVALI, QVAM TEMPORALI  
 Iurisdictione Illustrissimi Præsulis  
 tenentur.

**N**unc ad vos Dioeceseos Eystettensis incolas,  
 qui in S. Willibaldi fide immobiles perstiti-  
 stis, mea se conuertit oratio. Summis laudibus  
 euehenda est vestra in tantis finitimorum ruinis con-  
 stantia, aliis enim ad Lutherum, aliis ad Zvinglium,  
 & Calvinum, aliis ad alios Sectarios sturnatim aduo-  
 licantibus; vos in super omnibus habitis, fidem Deo &  
 Ecclesiae Catholicae in ipso salutifero baptismatis fon-  
 te obstrictam, sanctè & religiosè seruaistis, nec opera-  
 rios iniquitatis, sectarum que fabros, & Satanæ admi-  
 nistros audiendos existimastis. Verè Satanæ mini-  
 stros appellauerim; nam quidquid hic per ministe-  
 rium *Prædicantium* seu *Logodulorum* fit, id totum fit im-  
 pulsu & magisterio Satanæ, qui, ut ait S. Leo, quos aper-  
 tus & cruentis persecutionibus impugnare non sinitur, sub  
 falsa Christiani nominis professione corrumpere nititur, ha-  
 bens hereticos (*Prædicantes*) huic operi seruietes, quos à  
 Catholica fide deuos sibi que subiectos, militare in castris suis  
 sub diuersis erroribus fecit: & sicut decipiendis primis homi-  
 nibus ministerium sibi serpentis assumpsit; ita horum (*Prædi-  
 cantium*) linguas ad seducendos rectorum animos veneno  
 suæ falsitatis armauit, quorum sermo serpit ut cancer: hu-  
 militer irrepunt, blandè capiunt, molliter ligant, latenter oc-  
 cidunt: veniunt enim sicut Saluator prædixit sub vestitu o-  
 uium, intus autem sunt lupi rapaces, quia non possent veras

S. Leo serm. 5. de  
 ieiuniis de. cimi  
 m. c. l. i.



Et simplices oues fallere, nisi Christi nomine tegerent rabiem bestialem: in quibus omnibus operatur, qui cum sit vera illuminationis inimicus, in lucis se Angelum transfiguratur. Huius arte (Lutherus) huius (Carlstadius) callet ingenio. Hoc ducē agitur (Zwinglius) hoc precipitatur rectore (Oecolampadius) huius potestati famulatur (Calvinus) huius spiritui seruit (Beza) Tota denique bestiarum talium cohors, hoc praeside ab Ecclesiae unitate discessit; hoc magistro à veritate de-

S. Leo serm. 17. de  
passione Domini.

sciuit; qui non solum per carnis concupiscentias, & per corporeas insidiatur illecebras, sed inter ipsa quoque semina fidei spargens *Zizania falsitatum*, veritatis studet violare culturam, ut quos non potuerit corrumpere malis actibus, impiis subuertat erroribus.

Fugite ergo, ut hactenus, ita & in posterum mundana argumenta doctrina, & viperea hareticorum vitate colloquia. Nihil vobis commune sit cum illis, qui Catholica aduersantes fidei, solo sunt nomine Christiani: non enim templum spiritus Dei, nec membra sunt Christi, sed falsis opinionibus implicati, tot species habent Diaboli, quot simulacra mendacij.

Optimè à vobis factum, nolistis imitatores esse noctua, quae licet per noctem vigilet, per diem tamen pigra vel caeca est, quae grandibus oculis tenebrarum caligines diligit, splendorem solis horrescit. Istud animal hareticorum atque gentilitium figura est, qui tenebras amplectuntur Diaboli, lucem Saluatoris horrescunt, & grandibus disputationum oculis cernunt vana, non respiciunt sempiterna. Sunt enim acuti ad superstiosa, hebetes ad diuina, qui dum se putant subtilibus euolare sermonibus, tanquam noctuae veri luminis splendore turbantur, quibus nihil optatius & iucundius, quam ut & alios in noctuas & vespertiones transforment: quia enim ipsi à veritate Euangelij recesserunt, & mendacia Diaboli sunt secuti, alios quoque volunt socios suae perditionis

S. Maxim.  
2. de non timendis hostibus.

S. Leo serm. de  
sitandis hareticis.

effice-



efficere. Sed studiosè vitandi sunt, nec vlla cum illis habenda consuetudo: nam iusto iudicio ab Ecclesia unitate reiectis, nulla est tribuenda communio, quam nō nostris odiis, sed suis sceleribus perdididerunt: propria enim pertinacia perit, & sua à Christo discedit insania, qui eam impietate, per quam ante se multos scit periisse, sectatur, & religiosum sibi atque Catholicum putat id, quod sanctorum Patrum iudicio & in (Lutheri) perfidia, & in (Zvvinglij) dementia, & in (Caluini) insania constat esse damnatum, ut adhuc quasi noua & necdum damnata in perniciem animarum suarum consentiant prauitati.

Aspicite seriem Præsulum vestrorum à S. Willibaldo vsque ad hodiernum Reuerendissimum & Illustrissimum Antistitem ac Principem Ioannem Christophorum. Nullus inter hos Lutheranus, nullus Zvvinglianus, nullus Calvinianus, omnes eius fidei professores, defensores & propagatores, quæ in hanc Diocesin à sanctissimis viris Bonifacio, Willibaldo & Wunibaldo illata est. Crudeliter sanè Deus vobiscum & cum maioribus vestris egisset, si à temporibus S. Willibaldi vos à recto religionis tramite aberrare permisisset; nec reduxisset, nisi post annum salutis millesimum quingentesimum, quando flagitiosus Apostata, immemor Dei promissorumque suorum, Monialem incesto Hymenæo sibi copulauit.

Si ætas S. Bonifacij & S. Willibaldi tale portentum in luminis oras extulisset, bone Deus, quo studio, quacura impiis conatibus sancti viri non occurrissent. Si enim tanta diligentia sese opposuerunt Ethelvolffo, Adelberto, Clementi, Samsoni, & aliis pestiferæ doctrine disseminatoribus, quid non fecissent iam, cum singularis iste Ferus, omnia demoliri & de pasci natus, plau-



plaudente tota Orci cauea, in publicum, publico omnium malo, processit? qui cum suis asseclis, in Confessionibus suis tam inconstans & variabilis fuit, vt Lutherani eas vix vsque ad hoc æuum nostrum fingere & refingere destiterint, vt proinde in illos conueniat, quod S. Basilius de Arianis scriptum reliquit: *Quoties fidem exponendo nouarunt? Ancyr adederunt aliam; Seleucia aliam: aliam Constantinopoli, & aliam in Lampsaco, postea aliam dederunt in Nicæa Thracia, iam quoq; aliam in Cyzico. At fides apud vos non alia in Seleucia, alia Constantinopoli, in Zelis alia, in Lampsaco alia, & alia Roma, sed vna eademque vbicunq; S. Bonifacius & S. Willibaldus euangelizarunt. State in fide, monet S. Basilius. Ipsum orbem inspice, & videte, quàm modica sit ea portio, que hoc morbo (hæreseos) laborat, reliqua verò vniuersa Ecclesia, qua ab orbis finibus vsque ad fines Euangelium recepit, sanam hanc & rectam doctrinam sectetur. Concludo cum sancto Leone Pontifice: Confidimus, quòd protectio Dei corda vestra, fidemq; custodiat: vt cui hæctenus fideliter obedistis, in æternum, perseverante Catholica fidei obseruantia, placeatis.*

*S. Bas. epist. 82. & Epist. 73.*

*Basil. epist. 72.*

*S. Leo serm. de vitand. hæret.*

*Finis in sp. cum  
Dei episcopis Eystet  
1555 69*



AA APPEN-

*Handwritten note on a separate piece of paper, partially overlapping the main text. The text is written in a cursive script and appears to be a Latin or German note related to the book's content, possibly mentioning 'terra' and 'fessis'.*